



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Svmma, Sive Avrea Armilla Bartholomæi Fvmi Placentini,  
ordinis Prædicatorum, ac hæreticæ prauitatis Inquisitoris**

**Fumo, Bartolomeo**

**Antverpiae, 1570**

Simonia.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-30427**

propter ius aliquod, quod quis habet in ecclesia, non potest eam magno beneficio priuate. cap. accessissent. de consuetu. Abb. in gloss. 2. circa fin.

<sup>25</sup> MANDANS corpus suum non sepeliri, sed iactari canibus, vel in flumine, exaudiri non debet. 21. distinct. 9. nunc autem, in gloss. notabil.

<sup>26</sup> LEPROSI secundum Pan. in d. c. sacris. cum alijs sepeliri non debent. illis enim permittitur habere ecclesiam eum cimiterio, quod non permittitur, si cum alijs sepeliri possent, in injuriam ecclesie parochialis, licet Pe. de Anc. & Sil. teneant oppositum: quia ratio prohibitionis cessat in morte leproforum: prima tamen opinio videtur melior, licet etiam secunda boins innitatur fundamentis. Tab. cum Pan. tenet ibi. circa finem.

<sup>27</sup> PRO defuncti sepultura, quando defunctus est alius ab vxore, haeres facient expensas. l. si quis. ff. de re. & sum. su. Si est vxor habens dotem, & alia bona, quae remanserunt apud maritum, ipse maritus faciet. Si vero tantum dos remanet viro, & alia bona alijs, quilibet pro rata faciet expensas, scilicet vir, & alij. Si vero etiam dotem restituit facient haeres vxoris. l. Celsus. ff. de re. & sum. fun. Si vero nec dotem, nec alia bona habuit, vir faciat. ff. de re. & sum. fun. lib. 1. Patet respectu filij, & dominus respectu serui faciet. l. si qui. ff. de ritu. Vide Sil. ver. sepultura. q. 14.

## SERVVS.

<sup>28</sup> SERVVS non potest ordinari, nisi prius manu mittatur. c. 1. 2. & 3. d. 54. & huius ratio est utilitas, atque clericalis dignitas. c. admittitur. d. 54. Et infra annum a scientia domini sui potest reuocari: secundum Rayn. & postquam reuocatus fuerit, non potest dominus iniicere manus in eum sine excommunicatione: secundum Inno. nec licebit tali seruo si fuerit in sacris contrahere matrimonium, alijs autem privilegij clericalibus non gaudebit. ca. Ioan. de cler. coniug. Quod si domino sciente, & non contradicente ordinetur, eo ipso fit liber ad quoscumque ordines sit promotus. c. si seruus sciente. 54.

dist. & secundum Goff. & Inn. Si autem domino nesciente, & praesentante, & ordinante, redigetur in pristinam seruitutem quod ad minores. ca. nulli. 4. d. Si vero ad sacros, tunc dabit vicarium, vel pretium. Alio reuocabitur in seruitutem: in minoribus autem absolute reuocabitur. c. nulli. d. 54.

<sup>29</sup> QUOMODO seruus potest contrahere, supra, Matrimonium. in. 2. impedimento. 9. 6.

<sup>30</sup> TEMPORIS persecutionis, licet Christiano subire seruitutem infidelium, cum pacto de deferendum Christianorum: secundum Inno. in c. nisi eum pridem, de renunt. Quomodo partus sequatur ventrem liberae vel seruum: vide Sil. ver. seruus. q. 4.

## SIMONIA.

<sup>31</sup> SIMONIA, secundum Thom. Secunda secundae. q. 100. a. 1. est studiosa voluntas emendi, vel vendendi aliquod spirituale, vel spirituale animum. Oportet ergo ad hoc quod sit peccatum mortale, quod sit voluntas studiosa, id est, deliberata. sola enim deliberatione potest committi, etiam adu exteriori non secuto, non tamen ab ecclesie iudicio punitur, quia de occultis non iudicat. Item nomine emptionis, vel venditionis, intelligitur omnis contractus non gratuitus, et transactionis, renuntiationis, & huiusmodi. Item spirituale dicitur tripliciter, vel essentialiter, ut dons gratuita, & virtutes. Secundo, causaliter, ut sacramenta. Tertio, effectualiter, ut precare, orare, & huiusmodi. Annum autem spirituale dicitur, vel dependens ex spiritualibus, ut habere beneficium, vel ad spirituale ordinatum, ut ius patronatus, quod ordinatur ad praesentandum clericos ad beneficia, & vasa sacra, vel vestes benedictae, quae ordinatur ad usum sacramentorum. Item nomine pretij continetur omne quod pecunia commutari potest, ut munera, preces, laudatio, & huiusmodi. Sint ergo haec regulae. PRIMA regula, Res pure spiritualis, nullo modo potest emi, vel vendi. Secunda, Res composita ex spirituali, & corporali, non potest emi, vel vendi, ex parte

in parte illa quæ est spiritualis, etiam quod spiritualitas ibi sit minima. Tertia, Si aliqua res composita ex spirituali, & corporali est, potest vendi, vel emi, ex ea parte qua corporalis est, non tamè pluris pretij, ex eo, quod spiritualitate habet annexa: ut calix consecratus non potest plus vendi, quàm si non esset consecratus, & huiusmodi, alioqui simonia incurritur. Quarta, Nulla res composita ex spirituali & corporali, sicut in ea principale spirituale potest absolute emi, vel vendi, aliter intelligitur vendi spirituale, quod principale est: ideo non licet sacerdoti vendere missam, nec predicatori pacisci de pretio predicationis, & huiusmodi. Secus quando principale in ea est corporale, tunc potest absolute vendi, & emi, nisi iure positivo prohibeatur, tunc enim propter iuris prohibitionem esset simonia. Quinta est, Stipendium sustentationis exercitium spiritualia, licet velle, & accipere, & in articulo necessitatis de eo pacisci liceret, sed quia prohibetur huiusmodi pactioes, ideo non sunt faciendæ. Debent ergo prius ista spiritualia gratis populo exhiberi, & postmodum ad servandas consuetudines bonas, pro sustentatione ministrorum auctoritate superioris cogi, siue pro missis, siue pro officiis, siue pro consecratione ecclesiarum, aut benedictione virginum, & huiusmodi. Sexta est, Quamvis locare operas in exercitationibus quæ principaliter sunt spirituales, ut dicere missas, & huiusmodi per se non liceat, potest tamen licere per accidens, id est, propter aliquod adiunctum, ut quia non locat operas ad celebrandum, sed locat libertatem suam, quia dum obligat se ad hoc faciendum, aliud facere non potest, & sic potest locare, & ita habet consuetudo ecclesiarum. Multi enim sacerdotes locant operas suas ad officium per mensem, vel annum, & huiusmodi, ut videmus.

SEPTIMA regula. Locare operas in his, quæ principaliter sunt corporalia, ut est officium factitæ, & huiusmodi, non habet scrupulum, quia possunt fieri pacta de certo stipendio, & hæc

intellige ex parte operarii, qui potest locare operas suas, & ille cuius est dare officium, & conducere sub pretio. Prælati tamen non potest huiusmodi officia sub certo pretio locare prohibutum est enim ne prælati committant vices suas sub annuo censu. c. 2. ne præ. sub. an. cen. con. vic. supra, Locatio. §. 6. ex doctrina Caieta. in summa ibi, in verb. simonia.

4 SECUNDO quod tria requiruntur ad extrinsecam emptionem, vel venditionem, in qua consistit simonia. Primum est intentio, ut quis intendat emere, vel vendere. Secundum est conventio de pretio explicita, vel implicita inter contrahentes, alioquin si non convenirent partes, non sequeretur venditio, nec emptio. Tertium est executio, dædo pretij, & accipiendo. Non enim est consummata emptio nisi detur pretium, nec venditio, nisi detur res quæ venditur. Ideo ad simoniam, quæ ab ecclesia punitur, exigitur ex parte venditoris venditio consummata rei spiritualis, ex parte emptoris conventio explicita, vel implicita, de pretio, & traditione pretij. Et nota quod traditio pretij, est plusquam conventio: ideo quantum non fiat alia conventio explicita, & tradatur pretium, est conventio ibi implicita. Et si tradatur pretium, & sit conventio, & non sequatur datio rei spiritualis, vel si detur res spiritualis cum pacto, & non detur pretium, non est simonia, quæ punitur ab ecclesia: quia pœnæ sunt restringendæ ad actus consummatos. Not, etiã quod si detur pretium non sub ratione pretij, sed vel pro sustentatione, vel secundum consuetudinem, vel ex reverentia, vel pro oblatione, vel alio quovis modo, non facit conventionem implicitam, nec simoniam, sed quæ dantur ratione pretij, ut munus à manu, à lingua, ut laus, adulatio, preces, & huiusmodi ab obsequio, siue sit honestum, siue turpe obsequium, efficiunt. Quod si obsequia huiusmodi fierent, etiam quæ essent inhonesta, non tamen per medium pretij fiant, sed propter aliud, non constituunt simoniam, ex doctrina Caieta. in summa

in summa

in summa, ibi. ver. simonia.

5 Est etiam simonia mentalis, quæ à Deo tantum punitur, ut quædo quis intendit pro spiritualibus temporalia habere, vel pro temporalibus spiritualia, ita quod ly pro, dicat pretium, vel rationem pretij. Si autem non intendit hoc pro pretio dare, vel accipere, sed tanquam elemosinam, vel donum, vel aliter, non est simonia mentalis. Et hoc quandoque est solum in mente sine actu exteriori, ut quia vellet emere rem spiritualem, sed non habet pretium, vel non occurrit qui vendat, vel huiusmodi, aliquando fit cum actu exteriori, ut quædo quis dat munus pro spirituali, intendens propter hoc habere rem spirituale, sed hæc intentio non apparet. Quandoque aliqui conveniunt paciscendo, & non completur simonia exterior: quia actualiter non datur res spiritualis, vel pretium, vel propter penitentiam sequentem, vel impedimentum, vel aliud. hæc simonia inter mortales collocatur, licet actus sit interior, sed quia non punitur ab ecclesia, & est mortale peccatum, siue sit mentalis, siue actualis exterior, & gravius cæteris peccatis, quæ committuntur circa contractus, quia homo se habet irreverenter ad res sacras. Ex Caiet. vbi sup.

6 PAPA licet possit incurrere peccatum simoniae emendo, vel videndo res spirituales, quia hoc est contra ius divinum, non tamen potest committere simoniam, quæ punitur ab ecclesia, sicut non potest effici excommunicatus, cum sit supra ius positivum. Similiter qui emit à Papa ordinem, vel beneficium, penam iuris non incurrit, licet simoniam committat, secundum Pet. de Pal. in 4. senten. ideo qui habuit beneficium de scientia Papæ cum simonia, licet mortaliter peccaverit, non tamen tenetur resignare, sed sufficit quod peniteat de peccato, secundum eundem Pe. Quæ autem sunt simoniaca tantum, quia prohibita ab ecclesia, si Papa facit, vel aliquis eum eo, vel de eius scientia tractat, neque peccat, neque simoniam incurrit: quia ex se pecca-

ta non sunt, & in hoc casu videlicet Papa dispensare, cum contra eius voluntatem non fiat, nec reclamet.

7 S I aliquis amicus accipietis beneficium, dat aliquid ministrantis consilio, ipso ministrante rem spirituale, & accipiente ignorantibus, ministrans & accipiens non sunt simoniaci, sed amicus, & consiliarius. 1. q. 1. c. Statuimus. sicut si sciunt, & non contradicunt, quia dicuntur voluntatem interponere, & quantumcumque, sic occultum, simonia est, & tenetur renuntiare, sed si amicus meus dat pecuniam ut ego promovear, me etiam inscio, licet non sim simoniacus, tamē renuntiare teneor. c. de simoniaci. eod. tit. quia simoniacus sum promoveor. concor. Bern. H. off. & Richar. 4. sent.

8 S I quis obtinuerit ordinem, vel beneficium, alio dante pecuniam non ordinari, non est simonia, etiam si sine pecunia non erat obtenturus: secundum Innocentium in c. tanta. 20. art. 1. q. 6. §. fin. Si autem ipse ordinatus pecuniam dedit, etiam si sine pecunia obtenturus erat ordinem, simonia est. arg. 1. q. 3. §. si. q. 6. c. 1.

9 INTENDENS obtinere aliquod spirituale, si dat aliquid ministro ut ingressum habeat tantum, non est simoniacus, sed si dat ut pro eo loquatur, persuadendo, rogando, ut consulesco, simoniam incurrit, si pro re spirituali facit. 1. q. 1. c. quicumque. nec dicta pecuniam mediator potest retinere, secundum Ar. Flo. sed restituere tenetur non ei qui male dedit, sed illi in cuius iniuriam data est.

10 Q V I laudat, vel preces porrigit pro aliquo prelato, ut propter hoc inclinatur ad dandum aliquod spirituale sibi, vel alteri simoniam committit, dat enim hoc tanquam pretium rei spiritualis, quæ non potest emi, neque vendi, iuxta primam regulam supra dictam.

11 Q V I preces porrectas pro indigno audit, & propter hoc dat beneficium, factum simoniacum committit, quia preces nomine pretij computantur, ut supra dictum est: secus si porrigatur pro digno, quia subest causa debita. Possent tamen esse simonia, si non ad dignitatem

tem, sed ad preces respiceretur. An autem rogare pro se, ut habeat quis beneficium, vel rem spiritualem, sit licitum, supra, Beneficium, §. 39.

<sup>12</sup> QUANDO fiunt preces armatz, ut quando rogatur pro aliquo potente, & adiunguntur minz, committitur simonia, si propter hoc res spiritualis (ut beneficium) detur.

<sup>13</sup> ROGANS pro aliquo etiam digno intendens se obligare in aliquo collatori beneficij, vel se exonerare de aliqua obligatione, quã habet ad petentẽ beneficium, committit simoniam, quia & obligatio talis, & exoneratio, tenet locum pretij. Idem dic de precibus carnalibus, quando quis rogat pro cõsan guino, vel amico suo, intendens tantum amicitiam, & non dignitatẽ personz, & propter hoc collator dat beneficium, simonia est. Videntur enim hæc succedere loco pretij. 1. quzstio 1. canon. ordinationes. Pro alijs autem sacramentis, & rebus spiritualibus, alijs a beneficijs, vel ordine, non videtur sic prohibitum, excepto religioso, qui nõ habet velle, nec nolle. ca. non dicatur. 12. q. 1.

Quando autem nõ constat de intentione, an scilicet quis intendat se per preces exonerare ab aliqua obligatione, vel se alteri obligare, vel an tantum propter amicitiam faciat, recurrendum est ad indicia exteriora, quia si consanguineus erat pro quo rogabat, intelligitur quod preces sint iniustz, & propter parentelam, vel si amicus propter amicitiam, nisi constet de dignitate personz, & hæc quod ad forũ contentiosum, quia in foro anime stãdum est verbis consentis, & eius intentioni, & præsumptioni. Et nota, quod laus nisi sit ex intentione ad causandam favorem humanũ appreciabilem, non facit secundum Deum simoniam, neque preces, nisi porrigens illas intendat se obligare principaliter pro spirituali consequendo, vel se exonerare ex aliqua obligatione, vel servitio, quo ei tenetur, & hoc principaliter intendat.

<sup>14</sup> QUANTIUM ad munus ab obsequio. Ad hoc quod sit simonia, requi-

ritur quod sit servitium corporale, siue licitum, siue illicitum, & quod fiat pro habendo beneficio, vel ordine, aut alio spirituali, & quod fiat principaliter propter illud, & sic simonia committitur, & etiam conferens propter hoc simoniam committit, si est res spiritualis quz confertur. 1. q. 3. c. saluatur. Thom. secunda secunda. q. 100. a. 5. ad. 1. & ita foro contentioso iudicatur, & etiam in foro anime, si principaliter propter hoc fiat. Secus est, quando obsequium est pure spirituale, ut est celebratio missz, officij, quando est beneficium impositum, iudicabitur potest conferri beneficium etiam ex pacto, quod illa promittat tale obsequium spirituale. c. significatum. de præb. Et si alicui beneficio esset annexum, quod habens illud teneatur prædicare, vel legere, potest illud conferri cum pacto, & obligatione, quod legat vel doceat, secundum Host. nec ecclesia reputat hoc simoniacum. Tamen in conscientia si principaliter intenderit tale obsequium pro re spirituali, esset simonia. Similiter recipere aliquem canonicum cum hoc pacto ut doceat, est simonia, secundum eundem Hostien. intelligo quando hoc onus non erat annexum: & non solum dantes, & paciscentes sunt simoniaci, sed etiam consentientes, & mediatores. de electi. c. per inquisitione. c. 2. de confes.

<sup>15</sup> Si prælatus facit pactum de dãdo beneficio, & postmodum ductus penitentia intentionẽ illam malã reuocavit, vel illo pacto oblitus, confert pure, non est simoniacus, neq; recipiẽs, si eodem modo se habet, secundum Ric.

<sup>16</sup> RECIPENS seruũ sub annuo salario, donec ei prouideat de beneficio competenti, non est illicitũ, secundum Hosti. etiam quod recepto beneficio expiret salariũ, quod promissum fuerat sub cõditione, & servitium nõ est causa principalis, sed impulsiva. Secus si perpetuò, vel pure obligasset se servitio: quia servitium videretur principalis causa collationis beneficij. Vide Pa. in c. non facis. c. quoniam, & c.

ueniens.eod.Dummodò non propter  
feruitium principaliter, sed propter  
meritum ad hoc inducatur.

<sup>17</sup> **R E I** non spiritali potest apponi  
eonditio, & pactum spirituale, vt qui  
habet fundum potest alteri dare eum  
pacto, vt ibi ædificetur ecclesia, & ibi  
tot missæ celebrentur, & potest dare  
aurum, vt ex eo fiat calix, & huiusmo-  
di sine simonia. Pa. tamen in d. c. signi-  
ficatum. docet bonâ cautelâ, vt prius  
onus celebrandi applicetur rebus, &  
postmodum dentur res, quia tunc res  
transcunt cū suis oneribus. Similiter  
potest quis constituere capellam, vel  
præbendam in aliqua ecclesia, & refer-  
uare, sibi ius patronatus, vel ad tēpus,  
vel perpetuò, cum licentia Episcopi.  
sup. l. ius patronatus. §. 4. vsque ad 12.  
prædicta sunt, secundū c. olim in cau-  
sam. de restit. spol. c. quanto. de cens.  
c. ex insinuatione. eod. titul.

<sup>18</sup> **C O N F E R E N S** beneficium, si eū  
eo, cui cōfert, facit pactum, vt retineat  
aliquam partem ex redditibus benefi-  
cij, simoniam incurrit, secundum Pa-  
nor. in c. 1. vt eccle. bene. Episcopus ta-  
men ex iusta causa, & necessaria po-  
test statueret, vt certi temporis redditus  
beneficij vacantis deputentur ad cer-  
tum vsu laudabile. Facit c. si. de ver.  
signifi. & pro solutione suorū debito-  
rum nomine ecclesie contractorum,  
non autē nomine priuato, vt glo. dicit  
in ca. 1. de solu. S. Tho. secunda secun-  
da. supra. a. 4. ad 3. dicit, q. si Episco-  
pus antequā conferat beneficiū ob ali-  
quam causam ordinet, vt aliquid sub-  
trahatur de fructibus beneficij confe-  
rendi, ad expendendum in pios vsus,  
non est simonia, si verò post collatio-  
nem requirit aliquid de fructibus sibi  
exhiberi, idem est ac si manus exige-  
ret, & sic non careret vitio simoniae.  
Pa. verò in c. non satis. eo. ponit caute-  
lam dicens. Dummodò non præcedat  
pactio, vt inducatur quis ad renuntiā-  
dum beneficio. Sed si Papa ex officio  
suo induceret aliquem vt cardinalē ad  
renuntiandum, & post beneficio im-  
poneret certam pensionem annuatim  
soluendam illi, qui renuntiavit ex iu-

sta causa, & hoc sine simonia trāsiret,  
& melius esset quā dare illis ecclesias  
in commenda, quæ, vt videmus, hoc  
modo destruuntur.

<sup>19</sup> **P R O** missa nunquā licet aliquid  
accipere tanquam pretium eius, cum  
sit res merè spiritualis, sed bene elec-  
mosinaliter, & vt stipendium susten-  
tationis; secundum illud 1. ad Cor. 9.  
Quis militat suis stipendijs vnaquam.  
Si tamen sacerdos tenetur celebrare. vt  
quia habet ecclesiam, vel beneficium,  
est simonia, si aliquid exigat. 1. q. 3. c.  
videntes. Secus quando non tenetur,  
& est indigens. Si autem tenetur, vel  
non indiget: tamē recipit, quod offer-  
tur, non est simoniacus, dūmodò non  
exigat. Idem die de dantibus aliquid  
pro oratione fienda pro eis, non tan-  
quam pretium orationis, sed vt eos  
prouocent ad orandum, vel pro elec-  
mosina, non est simonia. Idem die de  
prædicantibus, & exercentibus actus  
spirituales iuxta regulas supra positas.  
Qui tamen prædicaret tantū, vt fa-  
uorem, vel gratiā populi, vel aliquid  
temporale haberet, esset saltem men-  
taliter simoniacus. Si tamen finis eius  
principalis non est collecta pecunia,  
tanquam pretium prædicationis, sed  
salus animarum, vel sustentatio pau-  
perum, vel opus pium; secus est. Tho.  
supra. in 4. sent.

<sup>20</sup> **V A D E N S** ad horas principaliter  
propter quotidianas distributiones, si-  
moniachus est mentaliter, non autem  
exterius: quia non deducit in pactum.  
Secus si non principaliter vadit pro-  
pter lucram: sed ad Deum laudandū,  
etiam quòd sine distributione nō iret.  
Ioan. Andr. de ele. non re. c. vñico. lib.  
6. & c. tua nos. de simonia. & Hosti. in  
c. olim. de verb. signifi.

<sup>21</sup> **I V D E X** vendēs iusticiam, si est spi-  
ritualis iudex, vel à spiritali habeat  
simoniam committit: secundū Archi.  
Floren. Secus si non est spiritalis, licet  
grauiter peccet. Idem de teste dicendū  
videtur. Vide Tho. secunda secunda.  
q. 100. a. 3. & 4. sen. d. 25. q. 3. a. 2. q. 1.

<sup>22</sup> **E P I S C O P V S** cū consecrat, vel  
visitat, potest recipere procuracionem  
DOB

nō ratione visitationis, vel laboris, sed quia iure permittitur. de cens. c. cum Apostolus. Et intellige moderatam. Et non recipit ratione sacramenti, nec ratione laboris. c. venerabili. de cens. Tho. 4. sent. d. 1. q. 3. a. 2. quoli. 1. ad 6. Si tamen ecclesia esset paupercola, suis expensis visitabit & consecrabit. c. cauendum. 10. q. 3. At quia hoc iure permittitur, potest in pactum deduci. & in c. olim el. 1. de restit. spo. & Panor. ibi. & dicit Panor. in ca. 1. de eo qui mit. in pos. quod quāvis spiritualia non possint pretio aestimari, interesse ex eis proueniens, bene potest aestimari, & super eo tanquam super temporalis procedi: ut dicit gloss. in c. corā. de offic. de leg.

OFFERENS bono sua ecclesie, ut efficiatur canonicus, & ex illis bonis postmodum instituat sibi præbendam, est simoniacus. Textus est in cap. nos. eo. Secus si purè & liberaliter donasset, & post humiliter peteret in canonicum admitti, & retinere prædicta in præbendam, consentientibus purè clericis. Tunc enim liceret. Sic enim pro spirituali nullum datur temporale, nec sic pactum.

SI statuto cauetur, quod nouiter si receptus in canonicum, vel monachum, certum quid soluat, si aliquis recipiatur, & soluat, etiam sine exactione, simonia est: secundum Panor. in c. dilectus el. 2. eod. tit. Quod limitant aliqui, quando talis solutio cedit in utilitatem priuatam, vel canonicatam: scilicet si pro fabrica, vel alijs ad diuinum cultum pertinentibus: secundum Hostiar. de consti. c. cum omnes. & c. ex parte. quia laudabilis consuetudo seruari debet. c. ad Apostolicam. eo. tit. Pa. tamē in c. Iacobus. eo. dicit, quod si statutum imponit tale onus recipiendo, vel recepto, etiam pro his, quæ ad Dei cultum pertinent, non valet esse sine simonia. Facit d. c. multis. cum alijs. Secus si statutum imponit onus præbendæ in fauorem diuini cultus. in c. significatum. de præben. & c. vnico. vt eccle. benefic. & hæc opinio verior videtur, licet alia non sit damnanda. Ideo Pa-

norm. videtur sequendus magis.

ANTE QUAM acquiritur ius in Episcopatu, præbenda, vel quacunque dignitate, prouisione, aut collatione, est simonia, redimere pecunia aduersarij obstacula. Sic enim per pecuniarum parat sibi viam ad rem spiritualem obtinendam: secundum Thom. secunda secunda. supra. art. 2. Secus autem in re temporalis. Sed postquam est sibi acquisitum ius, & est in possessione, licet dare pecuniam pro redimenda vexatione contra eum, qui iniuste vexatus: secundum Tho. vbi supra, si verò iuste vexatur, non licet. Consentit Panor. in c. dilectus. el. 1. eod. tit. Si autem habet ius, sed non est in possessione, non potest dare sine iniuste, siue iniuste sit expulsus. Nam ad hoc, quod possit redimere vexationem huiusmodi, requiritur. Primò, quod sit acquisitum ius. Secundo, quod sit certus de acquisitione. Tertio, quod sit in possessione. Hos modos ponunt Pis. & Ange. & c. cum pridem. de pact. & ibi Panor. vide c. Mattheus. eod. tit. & ibi Panor. Similiter dicit de electo, & non confirmato, qui non potest dare pecuniam: vt confirmetur. in d. c. Mattheus. nec contradicenti: vt desistat, à contradictione.

SI Episcopus recipiat pecuniam ne aliquem simoniacè confirmet, & propter hoc non confirmat, vel non promouet, simoniacus est Episcopus recipiens, non autem dans: secundum Pa. in c. cum in ecclesia. eod. tit.

SI capitulum daret aliquid alicui impediendi ne electio fiat simpliciter, vt desistat à tali impedimento, si notorie constat ius nullum in electione habere, non est simoniacum, sicut si impediret, ne iste vel ille eligeretur: secundum Rod. sicut nec ille, cuius electionem impediret, dare posset.

NON licet litigandi renunciari liti super beneficio, cum pacto habendi ali quod temporale, etiā si illud recipiat nomine expensarum: quia renunciare iuri spirituali pro temporali, simonia est. in d. c. pridem, de pact. & quia renunciatio iuris spiritualis debet esse libera, per d. c. ex parte. Iudex tamen

M. 2. posses

possit providere: vt vna pars daret alteri, & cederet liti, ex officio suo, & pro hono pacis pro expensis factis: vt no. gloss. in d. c. ex parte. de offic. delega. supra. Renunciatio. §. 3. & 4. & 5. supra. §. 25.

29 SACERDOTI nolenti sine pecunia baptizare, non debet dari vllō modo, sed quilibet tunc potest baptizare. Potest tamen emi elementum, quando aliter nō posset haberi: quōd si baptizandus non potest habere baptismum sine pretio, & est adultus, non debet dare, sed potius mori sine baptismo. Sufficit tunc propositum baptizandi: secundum Thom. 4. senten. d. 5. q. 2. a. 1. Concord. Panor. in c. cū in eccles. eod. Pro puero autem baptizando, quando est articulus mortis, & sine pecunia non vult baptizare, quidā dicunt, q. potest donari pecunia, non pro pretio, & non sinere mori sine baptismo: sed melius est nō dare, & emere aquam, si aliter nō potest haberi, & per se baptizare, vel per aliu qui sciat, sed si non sit aliquis, qui sciat nisi sacerdos, & vult pecuniā putat, Panor. in d. cū in eccles. posse dari, non pro pretio, sed dono, ne infans sine baptismo moriatur. & licet recipiens peccet, non tamen dans in hoc casu, non autem sic in alijs sacramentis, quę possunt differri, & non sunt talis necessitatis: secundum Arch. Flor. & Caieta. secunda secundæ. q. 100. a. 2. ad. 1. Redimit enim infantis vexationem iustam. supra. Baptismus. §. 56.

30 Nō licet infideli dare pecuniam vt veniat ad fidem, quando nō veniret nisi data pecunia: quia baptismus ei parum prodesset: secus quando habet voluntatem veniendi ad fidem, sed timet paupertatem: secundū Panorm. in d. c. cum eccles. pro alijs autem sacramentis non licet, nisi pro sustentatione ministrorum, vel donatione: vt supra, neq; pro absolutione, vel licentia contendi alicui, tanquā pretium. Idem de interdicto excommunicatione, & huiusmodi, nisi soluat pro pena: secundum Tho. secunda secundæ. supra. a. 2. culpæ præcedentis, pro

qua fuit excommunicatus. 31 PRO matrimonio in quantum est in officium naturę, ratione dotis, licet date & accipere pecuniam, nō autem vt est sacramentum: secundū Tho. supra. ad 6. neque pro benedictione nuptiarum, cum prohibeatur in iure. ar. in c. cū in eccles. eod. tit. Dicit tamen Arch. Flor. q. si sacerdos non vult dare licentiam alteri sacerdoti vt benedicat nuptias, nisi soluat pecuniam tantam, quantam existimat portionē oblationis, quę sibi conuenit, non committit simoniam: secus si intendit vendere licentiam, vel plus exigit quā existimet oblationem futuram, pręsumitur enim tunc, quōd sit venditio, & consequenter simonia.

32 PRO ordine, si Episcopus, vel ministri aliquid exigant, simoniā committunt. De Episcopo, est c. quā pio. 1. q. 2. Imō si recipiat pecuniam vt ordinet non simoniacē, simoniā committit: vt supra. §. 26. & 1. q. c. nullus. Ministri vt Archidiaconus, qui examinat, & ille qui vocat promouēdos, vel qui respondet in seruitio, vel qui legit eū geliū. secun. Gos. si exigant pro tali ministerio pecuniam, sunt simoniaci. De notatio qui scribit ordinandos, dic secundum cōmuniter Docto. & Panor. in c. 1. eod. tit. quod si est salariatus de publico, nihil potest accipere sine simonia. si non est salariatus, aliqui. potest accipere secundum quantitatem laboris, non cōsiderata qualitate ordinum: vt scilicet plus exigit pro sacerdote: quā pro diacono, & plus pro diacono, quā pro acolyto, & huiusmodi. Sic enim patet, quōd nō pro labore, sed pro ordine exigit, tunc est simonia. ar. in c. præclarē. 1. o. q. 2. supr. Episcopus §. 21. Idem die esse simoniā, exigere aliquid pro sigillo, nisi expensas ceterę, & sigillationis, & clericorum ad hoc deputatorum, intellige pro te spirituali, vel ecclesiastica iurisdictione. In his tamen satis valet stylus Romanę curiæ, in qua taxata sunt omnia beneficia, quę si seruetur, vt à Papa ordinatus est, non potest incurri simonia, quæ ab ipso punitur.



3<sup>o</sup> P R O M I T T E N S nihil petere ab ordinatore, vel presentatore, usque ad tot annos, ex quo ordinator tenetur sibi assignare portionem post ordinationem, quae consideratis fructibus temporalibus quoddam est, simoniam committit: secundum Pan. in c. per tuas. el. 3. eo. tit. quia pro spirituali remittit temporale.

3<sup>4</sup> V A S A sacra, vestes benedictae, sepultura, capella, ecclesia, & huiusmodi: secundum Tho. 4. sent. d. 25. possunt vendi, non ratione consecrationis, vel benedictionis, vel spiritualitatis, sed materialiter: ut res sunt, videlicet pro auro, vel pro panno, vel pro terra, vel marmore, & huiusmodi, nec ratione spiritualitatis plus debet vendi, quam materia eorum valeat, sicut si ante consecrationem, vel benedictionem venderentur. supra. §. 2. sicut enim non datur nisi temporale pro temporali.

3<sup>5</sup> S I clerici nolunt corpus sepelire, nisi fiat pactum, & cautio de redemptione eorum quae veniunt cum funere, est simonia. per c. quae sta. 13. q. 2. Si autem faciunt pactum de redimendo lectum, vel alia temporalia, dummodo non tegetur sepultura, vel non immisceatur ius sepulturae est licitum, & post sepulturam possunt compelli a clerico facere haeredes, quod promissum est. per d. c. ad Apostolicam. eod. tit. quia haec sunt temporalia solum.

3<sup>6</sup> S I in vna ecclesia plura essent coemiteria, & parochianus plus vellet sepeliendo in vno quam in alio, esset simonia, vel si taxetur pro quanta pecunia quis ponatur in tali coemiterio: secundum Hosti. Intellige quando hoc cedit in utilitatem priuatam: secus si pro utilitate ecclesiae: ut pro fabrica, & huiusmodi. Vide cap. audiuimus, & c. sicut. eod. tit.

3<sup>7</sup> I N permutatione beneficiorum, dignitatum, vel praebendarum, quae fit pro aliquo tereno commodo vtriusque, vel alterius, est simonia: secundum Thom. 4. sent. d. 25. q. 3. Secus si pro aliquo spirituali: ut quia potest hic commodius vacare diuinis, quam alibi, dummodo fiat auctoritate dioecesis, quomodo autem fiat, & possit addi

pecunia. supra. Beneficium. §. 71. vsq; 76. De simonia in renunciatione. supra. Renunciatio. §. 2. Beneficium. §. 72. vsque 76.

3<sup>8</sup> P E R nullam consuetudinem introduci potest: ut pro temporaliter detur spirituale: quia ius naturale. & diuinum praedicit consuetudini: secundum Tho. secunda secundae supra. arti. 2. seruanda tamen sunt pia consuetudines: ut detur pro stipendio, vel elemosina: ut supra dictum est: quoniam qui altari seruit, de altari viuere debet.

3<sup>9</sup> I V S percipiendi decimas, vel fructus, vel oblationes ecclesiae, cum sit quoddam spirituale, vendi non potest sine simonia, quantum vendi possint fructus, quia corporales sunt: secundum Panor. in c. ne praeter. vic. su. Intellige a beneficiario quamdiu ipse viuat, non a praetate, qui habet ius conferendi. ar. in c. vnic. ut eo. cle. bene. §. si. Dicit etiam Panor. in c. si. ne praeter. vi. su. quod oblationes ecclesiae laico possunt locari, dummodo ponatur clericum loco sui pro colligendo, ne praesumptuosè ad altare accedat, ubi sunt oblationes. ar. in cap. 1. & 2. ne cle. vel mona. & ad modicum tempus possunt vendi. c. si. ne praeter. vi. su. Not. quod quando locatio fructuum, vel ecclesiae est facta ultra tempus locantis nomine ecclesiae, & vtiliter successor tenetur ad illam. de solu. c. 1. Si autem facta est nomine illius cuius est ecclesia, & non interdebat eam obligare, non tenetur successor, sed si conductor, vel emptor aliquid iam soluit. secundum Hosti. successor tenetur habere ratum, si solutio in ecclesiae utilitatem versa est. Et licet rector quandoque possit ecclesiam ultra tempus vitae suae locare, non tamen canonicus praebendam suam, ut dicit Sil. ver. simonia. q. 14. §. 1. circa finem.

4<sup>o</sup> Q U I villam vendit, & ius patronatus, quod in ea habet, est simonia: secundum Pan. in c. querelam. eo. tit. quia copulatiua facit venire copulatum principaliter, & non accessorie, non autem si dicat. vendo villam cum iure patronatus, & sic intelligitur dictum Ioan. Andr. in c. a. de iure pallij. in 6. in conscientia autem recurrendum

esset ad intentionem vendentis, si intendebat vendere ius patronatus, cuius signum fuit, si plus vendidit propter hoc, est simonia.

41 **PATRONVS** autem recipiens aliquid quod pretio aestimari possit, pro presentando, est simoniacus, secundum Pa. in c. veniens. el. 1. de restitu. spolia.

42. Si duo conueniant simul cum pacto obligatorio, vt Platodicit missam pro Socrate, & Socrates dicat missam pro Platone, vel Plato dicat Socrati, baptizame, & obligo me ad baptizandum te, est simonia: secus si cessat in talibus pacto obligatoria. capitul. tua nobis eod. titul. Cessante autem pacto potest spirituale in aliud spirituale commutari, secundum Panor. in c. sculptoræ. de voto, dummodo omnia gratis fiant.

43 **DANS** pecuniã ne quis ordinetur vel ecclesia non consecratur, est simoniacus. c. nemo. eod. titul. Idem dicitur de corruptentibus iudicē, vel testē in causa spirituali. in d. ca. tua nos. Pan. ibi, secus in causa temporalis. Similiter remittere debitū ecclesiæ pro re spirituali, est simonia, secundum Pa. in c. veniens. el. 1. de test. Remittere enim idem est quod donare, vt in glos. d. ca. veniens. vel est dare quando debitum liquidum est, secundum Pa. ibidem.

44 **ACCIPERE** aliquid pro inuestura ecclesiarum, simonia est: text. in c. cum tantum. eod. tit. Soluere annatã in curia Romana, seu taxam bullarū, non est simonia, quia talia non soluentur pro spiritualibus, sed pro sustentatione curiæ, & officialium, & hæc sunt ordinata de voluntate Papæ. Secus in curijs Episcoporum, & aliorū prelatorum habentium vnde viuunt, secundū decentiam sui status, quia tales taxæ sunt simoniacæ, vt pro absolutionibus, dispensationibus, & huiusmodi capit. ex multis. l. q. 3. secus si prædicta accipiunt, quia non habent victus decentiam, quia videntur dari elemosinaliter pro sustentatione.

45 **RECIPIENTES** pecuniam, vt electioni, seu promotioni ad aliquam dignitatem, vel prelaturã consentiant,

simoniam incurrunt. Pa. in c. de hoc. eo. tit. & tenentur restituere illi ecclesie, de qua agebat, vt in d. ca. de hoc. Idem dicitur si recipiant vt nõ eligant, vel electioni non consentiant, vel ne electionem impediãt, vt supra dictum est. §. 27. Hæc enim spiritualia sunt.

46 **SI** canonicus dicat alijs vt complacent sibi de tali, & postmodum complacebit illis de alio recipiendo, est simonia per c. quã pio. l. q. 2. Idem si dicam, non consentiam, nisi de alio mihi consentias. Idem si promouedus in rectorum alicuius ecclesie paciscatur soluere collatori maiorem pensionem, secundum Panor. in capit. cum clericis. de pac. Similiter si propria auctoritate obliget se ad pensionem, & nõ tenet collatio, secundum Pa. ibidem, quamuis Ioan. And. contrariũ teneat, scilicet quod tenet talis collatio.

47 **POTEST** clericus pacisci de vigilando aliquẽ defunctum, quia vendit laborem, non autem pacisci de dicendo Psalteriũ, quia esset simonia, secundum Hosti. quia est res spiritualis. Et si maior crux non portetur nisi, pro maiori pretio, est signum simonia. c. audiuius. eo. tit. Similiter cum taxatur pro quanta pecunia quis ponatur in tali sepulchro, in quo sunt plures, secundum Hosti. supra. §. 36. vendere emolumenta oblationum presbyter possit secundum Gul. vt supra. §. 39.

48 **DARE** aliquid ex pacto, p. aliqua benedictione, vel virginum velaminet secund. Pet. de pal. in 4. sent. & per ca. sicut. el. 3. de simo. est simonia.

49 **SANCTITAM** simulans, vt promoueat, non est simoniacus, secundum Tho. secunda secundæ supra. a. 1. ad 4. quia non dat aliquid, sed magis surripit humanam laudem. Peccat tamen mortaliter ex inordinato appetitu, & debet pœnitere de hoc. c. mandatum. eo. Secus de eo, qui per adulationem obtinet, secundum Arch. Floren. 2. par. tit. 1. c. 4. §. 4. nõ tamẽ tenetur renuntiare, nisi fecisset pactũ: licet aliqui contrarium teneant, quia hoc videtur munus ab obsequio,

50 **PRO** ingressu monasterij: secundum Tho.

Thom. secūda secundę .suprà. non licet aliquid exigere , vel recipere quasi pretium. cap. non satis. etiam pretextu consuetudinis, sine simonia. capi. quoniam eo. tit. tamen si monasterium sit tenue, ita quòd nò sufficiat ad tot personas nutriendas , gratis exhibendus est ingressus , & aliquid accipere pro victu personarum, quæ recipitur, nò est illicitum, nò tamen licet aliquid ex pacto recipere pro ingressu. c. quã pro. 2. q. 1. Vnde secundum Pa. in d. c. non satis. per viam pactionis, vel cõditionis, nil debet exigi, sed per viam protestationis simplicis. Nam quãdo sit aliqua conuentio, qua significatur quòd spirituale datur pro temporali, simonia ecclesia iudicat, etiam quod desit intentio. Quando ergo aliqua persona recipienda est, dicatur illi, Nos libèter recipimus te, sed si vis venire nobiscum, porta tecum tantum, vel tantum, vnde videre valeas. Et facilius possunt recipi illa, quæ plus portant. Et quando dicunt quòd nihil debet recipi, etiã pretextu paupertatis, debet intelligi quasi pretium ingressus, qui est res spiritualis, vel ex pacto, quod iudicat ecclesia simoniacum. Caiet. secunda secundæ. suprà. dicit, quod quando taxatus est numerus monialiũ, quæ possunt abso; penuria sustentari, ita quòd si plures reciperetur, monasterium grauaretur, licite potest statui, quòd supra talem numerum nulla recipiatur nisi quæ re leuamen grauedinis quòd sequeretur afferret, puta, mille aureos, quoniam hoc non est pro ingressu, sed pro sustentatione exigere.

51 P O E N A omnis simoniaci in recipiendo ordinem est, q; ipso iure est suspensus, secundum Pa. & inno. in c. rãta. eo. tit. & quò ad se & quò ad alios, ita q; non potest diuina celebrare, nec alij possunt sibi participare, & non quò ad ordinẽ tantum susceptum, sed etiã quò ad alios ordines licite susceptos, & cõsequenter est remotus ab administratione temporalium beneficiorum suorum, secundum gl. in c. reperiuntur. 1. q. 1. neque cõ eo dispensari potest, nisi per Papam. c. gratia. 1. q. 1. siue sit occultus,

siue manifestus, nec prodest renũtiare beneficio, secundum Pa. in c. tanta, & c. tuas. el. 2. eo. post inno. Si autem alius dedit pecuniam ipso ignorante, & post non cõsentiente, neq; ratum habente, Episcopus dispensabit, secundum Pa. in c. de simoniace. eo. & est tantum ab isto ordine sic suscepto simoniace suspensus, ideo alios ordines potest exequi, & beneficia retinere, ad maiores tamẽ ordines promoueri non potest, nisi in hoc ordine sic suscepto dispensetur: quia aliã videretur per saltum promotus. 52. d. e. 1. & per totum. de cle. per sal. pro. Qui autem simoniace ordinauit, ipso facto est suspensus perpetuo ab ordinibus, secundum Pan. in d. c. per tuas. text. est iũcta gl. in c. si quis a simoniacis. Facit text. in d. ca. per tuas §. verum. 33. d.

52 S I M O N I A C V S in beneficio si est occultus, est suspensus quò ad se tantum, secundum Pa. in d. c. per tuas. & quò ad alios suspēdendus. ar. 1. q. 3. c. 1. & si renuntiat beneficio sic acquisito, potest vti ordine suo post peractã penitentiam, secundum Pa. in d. c. rãta. & c. per tuas. & ar. in c. inquisitionis. de accus. Si vero manifestus est, vel per sententiam, vel cõfessionem in iure factam, vel per facti euidentiã, quæ nulla tergiversatione possit celari, tunc est suspensus etiam quò ad alios ipso iure. d. 33. §. verum. Ideo etiã quòd renuntiet beneficio, indiget dispensatione, sicut quilibet notorius, criminofus. in c. fin. de tempo. ord. dispensare autem potest in hoc Episcopus, dummodo ille non sit, cum quo commisit simoniam. vt no. 1. q. 5. c. presentium. Intellige si simonia fuit commissa ipso sciente, quia si ipse ignorauit, quòd parentes, vel amici eius fecerunt, secus esse, quia tunc tantum in beneficio sic esse suspensus, vt suprà dictum est, & secundum Pan. vbi suprà. Et talis si sponte renuntiat per Episcopum dispensari poterit, vt habeat beneficium etiam curatum in alia ecclesia, etiam cum executione ordinum: sed ad illud beneficium in quo fuit commissa simonia, non potest, nisi per Papam dispensari.

ſpectari, ſecundum Panorm. in d. cap. de ſimoniace. eod. tit. Idem dicunt eſſe iudicium de mediatoribus, quò ad ſuſpenſionem, & diſpenſationem, per regulã, accelleri. de re. iu. lib. 6. Si vero expectat ſententiam condemnatoriam, tunc non poteſt Episcopuſ diſpenſare, vt habeat beneficium in illa, nec in alia eccleſia quocunq;.

53 **E P I S C O P V S** poteſt diſpenſare cù ſimoniaco circa officia mortuorũ, benedictiones nubentiũ, ſepulturã, chriſma, benedictiones vaſorũ, & in ſimilibus, poſt peractã penitentia, ſecundum Hoſti. quia hæc non prohibetur ar. in e. nuper. de ſent. excom. Nec obſtat c. erga. l. q. 1. quia loquitur de ſimoniaco in dignitate. Not. q. iſte pœnã nõ ligant ſimoniacos mentales, vt dicit Sil. ibi. q. 19. § 4. & nomine mentalis ſimoniæ, quò ad cenſuras, venit non ſolũ quæ in interiori actu conſiſtit, ſed etiam quæ eſt ſine pactio, & quæ cum pacto eſt, ſed non cõſummata, ſecundum Caie. ibi. circa finem.

54 **O R D I N A T V S** ab Episcopo, quẽ audiuit ſimoniacũ eſſe, poteſt in ſuſcepto ordine miniſtrare, nõ tamen alios ordines recipere, niſi deponat cõſcientiam. ca. per tuas. eo. & non debet quis facile credere, quod in alterius vergit infamia: vt dicit Pan. in d. c. per tuas.

55 **S E C V N D A** pœna ſimoniaci eſt infamia, & depoſitio, quas incurrit, ſi iudicialiter de hoc cõſiterit. vt in ca. inquisitionis. de accuſat. & c. ſanẽ. §. q. 1.

56 **T E R T I A** eſt excommunicatio, de qua vide ſuprà, Excommunicatio. 59. 60. quia ibi ſatis clarẽ eſt dictum, quomodo ſimoniaci in ordine, & beneficio, & in receptione ad religionem ſunt excommunicati, ideò non replico. Videant ibi canones, qui meliùs ſcire volunt.

57 **D E** non reuelantibus ſimoniã factã in curia an ſint excommunicati? dic quod non: quia leges illæ per non uſum ſunt abrogatæ. ſuprà, Excommunicatio 59.

58 **I N** ſimonia mentali, ſiue ſit de iure diuino, ſiue poſitiuo, non cadit aliqua reſtitutio, ſecundum Thom. ſuprà. &

Panorm. in ca. ſi. eo. & Io. Andr. ibi indiſtinctẽ tenent quamuis aliqui dicant, quòd in ea quæ eſt de iure diuino teneatur quis ad reſtitutionem, ſed non probant efficaci ratione. Sed cùm debet fieri reſtitutio, cui ſit ſcinda. ſuprà, Reſtitutio. §. 17. Vide ibi diſſuẽ quod diximus.

59 **D A T V M** pro habendo ordine ad titulum alicuius eccleſiæ, vel beneficii, dabitur illi eccleſiæ, vel beneficio. Si autem non ad titulum, dabitur eccleſiæ cathedrali. In alijs detur eccleſiæ, in cuius iniuriam commiſſa eſt ſimonia: ita tamen, vt qui dedit ſimoniacẽ, commodum non oportet, quòd ſi omnes de eccleſia deliquerint, debent criminoſi expelli, & pecunia dati eccleſiæ, quòd ſi non expellantur, detur fiſco Papæ, qui in pijs cauſas diſtribuat, ſecundum Hoſti. nam turpia luera à fiſco extorquentur l. fiſcus. ff. de iur. fiſc. Si verò pata eſt monaſterio, dic iuxta cap. veniens. eo. & c. quoniã. & ſecundum Pan. in c. de hoc. eo. vide & Sil. ibi circa finem.

40 **E X** prædictis habes quòd nullus tenetur ad reſignationem beneficii ſimoniacẽ accepti, quando pactio nulla præceſſit, licet in mente hoc intenderet quis, ideò ſeruitores prælatorum, & obſequentes eis in obſequijs etiam turpibus, dummodo non fecerint pactum, licet pro huiusmodi obſequijs intenderet conſequi beneficium, non tenentur reſignare, & ſic ex dictis cauſis infinitos ſolues. Si quis det pecuniam papæ pro beneficio, non tenetur renuntiare beneficio, licet ſit ſimonia, quia in hoc videtur Papa diſpenſare, ſecundum veriorem opinionem. Sil. ibi. circa finem.

## S I M V L A T I O .

7 **S I M V L A T I O** mendaciũ eſt, quòd quis factis, vel ſignis exterioribus, aliud quàm in mète habeat, oſtendit: ideò ſemper peccatũ eſt, veniale quidẽ quãdo iocoſum, vel officioſum eſt mortale autẽ, quando pernicioſum, ſicut de mendacio dictũ eſt. Nihil enim refert mentiri verbo, vel facto, cùm vtrumque veritati opponatur. Simulatio